



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.

Pontano, Giovanni Gioviano

Venetiis, 1518

Tumulus Vrsi ursini comitis Nolæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13534

I. IOVIANI PONTANT AD PETRVM
 COMPATREM NEAPOLITA
 NVM TVMVLORVM
 LIBER PRIMVS.

Actenus Idalios cantus, leise car-
 men in umbra
 Lusimus ad thalamos blande hy-
 b
menae tuos.
 Nunc age quis titulo dignus in-
 uenis' ue senex' ue
 seu mulier, seu uir, seu puella canam.
 Dumq; cano, interea flores lege, collige myrtos
 Vranie, & multa sparge sepulcra rosa.
 Sparge & opes Cari blanda tuas, age et ipse Patulca
 Sparge tuas, spargis Antiniana tuas.
 Est suis & tumulis honor, est sua ciera sepulcris.
 Ipsa quidem accensa testificanda face.
 Vrite odoratos ignes, redolentia dona,
 Quæq; & Arabs mittit, quæq; Sabæus ager.
 Dum manes condo tumulis, tu caste sacerdos
 Tange aram, & patrios rite precare deos,
 Nec nuto cineri non & bona uerba precesq;
 Debentur, querulis uerba sonanda modis.
 Vos quoq; pallentes umbræ, solatia cantus
 Hæc capite. & manes fleibile Carmen amant.
 At tu flebilibus numeris hæc adiœ Petre
 Compater, ut certa membra quiete leuent,
 Floreat ut sua cuiq; croco uenerabilis urna,
 Frondeat ut uiridi myrtlea sylua coma.

TVMVLORVM
TVMVLVS VRSI VRSINI, PRIN-
cipis Nolani et Asculani.

Non artes tibi Romanæ, non gloria belli
Defuit, aut magno principe dignus honor,
Non fortuna domus, clariq; a stirpe parentes
Vrse, nec antiqua nobilitate genus.
Præstans ingenio, præstans et viribus idem
Corporis, ingenij sed grauitate prior.
Illustris titulos dedit et tibi Nola, dedere
Oppida multa tuo recta sub imperio.
Defuit ab tantum uitæ pars optima, namq;
Mors properans, medio tempore te rapuit.
Sed tibi uictrices Musæ statuere sepulcrum,
Ne mors ipsa tuas deleat exequias.

ALPHONSI DAVALI PRINCI-
pis Aternensi.

Arma manu tibi capta, et uicto ex hoste trophæa
Hæc tibi marmorea erunt, hæc tibi erunt tituli.
Hoc tibi mars statuit, statuit Bellona sepulcrum
O' Davale, hæc cineri debita busta tuo.
His Alphonse iaces ornatus et obrutus armis.
Arma tibi tumuli. tela tibi tituli.

IVLII PARMERII equitum præfecti.

Da tuba terribilem sonitum, tubicenq; canoro
Aere tona. hos tumulos clangor et arma decent.
Iulus hic situs est. strepitus innat, et innat ensis
Clauaq; Parmerium bellicæ parma innat.